



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 85. Alia Socinianorum Synodus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

*Alia Socinianorum Synodus.*

Mense Aprili eodem anno post Christi Nativitatem millesimo quingentesimo sexagesimo secundo aliud Pinczoviæ conventiculum habebatur ex viginti duobus Ministellis, & duodecim Nobilibus harum Ecclesiarum Patronis conflatum. Aderat ibi Gentilius, ejusque professio fidei prælegebatur, in qua totam Arianorum sectam adoptabat: postea recitabatur alia fidei formula, quæ a Blandrato porrecta acceptabatur, eoque eidem nonnullos Sacræ Scripturæ textus intrussisset, simulque pollicitus esset, quod in Calvinii gratiam redire vellet, ea tamen lege, ut ille sibi promitteret, ut profiteri valeret, quod Christus sit Filius Dei altissimi, & potentissimi, ac de eodem tam sublimi, & potenti Deo libertatem haberet loquendi & quidem modo simplici, nullaque interpretatione adhibita. Insuper a Calvinio sibi indulgeri petebat, ut nihil tanquam fidei regulam acceptare cogatur præter sacras literas, & Apostolorum Symbolum, tum vero se revocaturum spondebat ea, quæ ad initium Præfationis suæ ad commentarium in Acta Apostolorum proposuisset. Ceterum Blandratus ex eo, quod hæc conditiones



Sæcul. XVI.  
A. C. 1562

tiones suæ cum Calvino reconciliatio-  
ni apposuisset, nequaquam exinde caus-  
sam suam pejorem effecerat: eum e-  
nim adeo tenacem esse optime nove-  
rat, ut nequaquam sperare posset, quod  
Calvinus palinodiam eo duntaxat ex  
fine canere vellet, ut cum illo, quam  
tamen summa arrogantia vilipendebat,  
amicitiam sibi conciliaret. Nihilomi-  
nus hæc conditiones ad Calvi-  
num mitebantur, sed unice ad id con-  
ducebant, ut is magis contra mise-  
rum hunc fugitivum irritaretur,  
eique major istum e Polonia ejiciens  
di opportunitas suppeditaretur.

Itaque discusso hoc negotio Blan-  
dratum concernente decretum conde-  
batur, vi cuius Ministris, ac Præconi-  
bus prohibitum, ne de Trinitatis dog-  
mate, de essentia divina, Verbi gene-  
ratione, spiratione, ac processionibus re-  
ternis Philosophica methodo discurre-  
rent, insuper eis injunctum, ut hæc  
mysteria populo explanare com-  
pulsus, iis insisterent, quæ de his rebus  
in sacris literis & Apostolorum Symbo-  
lo tradita habentur. Vi hujus decre-  
ti Pinczoviani in adulterinorum refo-  
rmatum Synagogis tantam sibi attri-  
buebant auctoritatem, ut præ ceteris  
Sectariis ipsi Trinitatis fidem everte-  
rent, atque ex suggestu, & in conventi-  
culis



culis suis eo liberius hunc articulum impugnarent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. LXXXVI.

*Santissimæ Triadis invocatio ad sermonis initium consueta a Gregorio Pauli prohibita.*

Hoc igitur decretum non modo præ ceteris prior sequebatur, sed etiam ex suo cerebro eidem plura addebat Gregorius Pauli Cracoviensis Minister, atque in minori Polonia Ecclesiarum, ut vocant, Superintendens; quippe de Santissima Trinitate, Essentia divina, aliisque articulis non modo Philosophorum more differebat, sed etiam hæc mysteria penitus supprimebat: cum enim ad populum diceret, ordine suo novum Testamentum prælegebat, & nonnisi glossas, commentarios, paraphrases, ac morales animadversiones, si forte libuit, addebat, necnon pro auctoritate, quam sibi in spuris reformationis Synagogis tanquam Superintendens arrogabat, cunctis suæ jurisdictionis Ministris prohibuit, ne ad Concionis initium Santissimæ Trinitatis nomen pronuntient, multo vero minus illam invocent.

Hæc novitas inter prætenfos Reformatores haud leves suscitabat tumultus, atque inter ceteros Sarnicius

*Hist. Eccles. Tom. XLV. C c c Lu*